





~~217~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. MDCCCLXIII.





I. N. D. V.

MATERIAM  
PHILOSOPHICAM,  
EX THEOLOGIA NATURALI,  
VERITATEM ES-  
SENTIÆ DIVINÆ  
CONCERNENTEM,

PRÆSES,  
M. ABRAHAM HENRICUS  
DEUTSCHMANNUS,  
FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTUS,

ET  
RESPONDENS,  
STEPHANUS ADAMI,  
KISSELYKINO-TRANS.SS.TH. ET PHIL. STUD.

PUBLICÆ COLLATIONI EXPONENT,  
AD XIV. DIEM JANUAR. ANNO M. DC. XCI.

*In Auditorio Majori,*  
HOR. CONSVET. MATUTIN.

---

WITTEMBERGÆ, Prælo CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.





LIBRARY  
PHILOSOPHICAL  
INSTITUTION  
BERLIN  
MUSEUM  
OF  
ANTHROPOLOGY  
AND  
ETHNOLOGY  
OF  
THE  
EMPEROR  
WILHELM

sim  
hui  
con  
run  
cui  
mu  
Ipsa  
Ha  
vell  
doc  
pro  
dic  
tura  
nan  
verè  
tiqu  
sta  
tem  
pro  
in p  
fec  
mu  
Ver  
Stu







## Q. V. D. F. E. J.

**A**ntistes Philosophorum *Lib. II. Metaph. Philosophiam* vocat *Scientiam Veritatis*. Omnes igitur ament atque tractent *illam Veritatis Studiosi*, necessum est. Nihil *beatius*, quam *scire*, nihil *divinius*, quam *vera scire*. *Demosthenes* quæsitus, quid homines DEO haberent simile? Respondit: *Benignè facere ac Veritatem amare*. Quidni huic plurimum tribuere deberemus? De quocunque enim ea consentit, id verum esse necessum, ait *Cicero Lib. I. De Natura Deorum*. *Veritatem* qui dicit, DEO & Hominibus est acceptus, cum *Veritas* ex *Platone de Legibus* sit omnium Bonorum Potissimum. Omnis *Veritatis* Autor est DEUS, qui dicitur aliàs *Ipsa Veritas*; ad divinum ergò statum proximè *Veritas* accedit. Hæc omnia *Philosophia* sunt officia, *Veritatem nosse*, *Veritatem velle vel amare*, à priori, *Veritatem dicere*, à formali, *Veritatem docere*, *Veritatem in omnibus constanter tenere*, à posteriori. Ea propter DEO simillima & constantissima *Veritatis Scientia* dici solet. Quæ *Philosophica Veritas* quoque in *Theologia Naturali* omnem humanæ laudis transcendit ambitum; requirit namque DEUS *Veritatem Essentia Divina*, quam ut *Attributum verè Divinum* in *Pneumatica* contemplamur. Ut autem ne utiquàm in splendidissimo *Veritatis* Theatro simus otiosi spectatores, sed operosi, pro instituti ratione in nostra *contemplatione Philosophica Divinorum Attributorum Absolutorum* progredi libet. *Methodum* quod attinet, eadem utimur, quam in præcedenti *Dissertatione de Unitate Essentia Divina* nostram fecimus, ut *Thesibus certis Probationes & Antitheses* subjiciamus. DEUS, *Simplicissima Veritas*, sub *Cujus Patrocinio* solam *Veritatem Essentia Divina* proponere valemus, dirigat nostrum *Studium in Veritate!*

A 2

I. Veritas



*Veritas Essentia Divina non ad universalem, verum ad particularem Disciplinam cujusdam contemplationem restringenda venit.*

§. I. Hujus Theos Argumentum demonstratur (a) ex Termini Veritatis acceptione; cum hic accipiatur in sensu tum pathetico, qua DEI vel Essentia Divina Veritas peculiarem infert Proprietatem Bonitati, vel aliis etiam Attributis contradistinctam, tum energeticum, quatenus DEO Vero primario sic accommodatur, ut Verissimas de Se fundat Operationes, Veras tum in intelligendo, quatenus nihil Ipsam latere potest, sed omnia presentissime cognoscit; tum in volendo, quatenus vere bona quævis velle perhibetur; tum in decernendo, quatenus omne velle vere decernit; tum in loquendo, siquidem ipsa verba Ejus sunt Veritas; tum in efficiendo, quatenus Deus omnia non nisi secundum eminentissimam Veritatem suam operari dicitur, dum omnia Ejus Opera sunt ipsissima Veritas. Hæc significatio est particularis contemplationis, que nostræ tractationi vel Theologiae Naturali propria. Non verò latissime supponitur vox Veritatis hoc loco in sensu metaphysico & essentiali, que relationem Entitatis attendit, atque considerationis universalis est; ideo tamen non simpliciter, sed secundum quid ista significatio generalis tollitur, nec formaliter attenditur, in quantum confusio quædam inter Disciplinam Universalem seu Metaphysicam & Particularem sive Pneumaticam & in ea Theologiam Naturalem instituitur. (b) Ex Veritatis distincta, qua modum considerandi, tractatione: Alius modus existit in Metaphysica, qui simpliciter & absolute sive generaliter ab omnibus Inferioribus præscindit & Veritatem Entis cujuslibet sub ambitu suo comprehendit; Alius in Theologia Naturali, qui circa demonstrationem Veritatis Divina occupatus est; adeoque restrictè, quoad relationem ad solum DEUM, talis dicitur. Veritas ergò hæc solius DEI, non autem alterius cujusdam Entis Attributum vocatur. (c) Ex melioris Doctrinae accommodatione; Melior enim & fructuosior doctrina est, que respectu Veritatis Divinae particulariter in Pneumatica pertractatur, quam quæ ratione Veritatis entitative in universali spectatur. Qui hoc attendit,



dit, ille benè distinguit *Species quasi Veritatis*, easque distinctim *Veritati*, cujuscunque sit *objecti*, methodicè tribuit.

§. II. *Errorem in excessu committunt, DEUM Verum, & Solum Objectum Metaphysica*, ut *Universalis Disciplina*, constituentibus; loquuntur autem de *Objecto Attributionis adaequato*, ita ut omnium, de quibus *Metaphysicus* agit, faciant *DEUM adaequatum Objectum*. *Mendoza Disp. I. Metaph. Sect. IV.* hanc fovit sententiam, pro se citans *Albertum M. Averroëm, Avicennam & Alfarabium*, imò ipsum *Aristotelem*. Cum quo coincidere videntur *Arriaga in Proem. Metaph. Oviedo ibid. Vid. Paul. Voët. Philosoph. Prim. Reform. Cap. II. Sect. I. Thes. XIV. XV. pag. 36.* Sed *Fallacia ignorationis Elenchi* operam dant, cum *ipsis* de *Objecto Attributionis* sermo sit, à nobis verò *Tractationis objectum* intelligendum veniat. Eapropter *DEUS Verus* neutiquàm ad *Metaphysicam* ut *Objectum Adaequatum* referri potest; alias omnia, in *Metaphysica* locum suum obtinentia, *DEO* applicarentur; ita *DEUS* esset *Contingens, Causatum, Imperfectum, Accidens, &c.* Qui verò talia *DEO* tribueret, is in *DEUM* injuriosus verè deprehenderetur.

II.

*Veritatem Essentia Divina Attributionum Essentiale* jure dicimus, non autem *Eam* pro *Accidentali quâdam Perfectione* habemus, vel habere debemus.

§. I. *Attributi Essentialis* nomine hic *Veritatem Essentia Divina* venire, patet (a) ex *abstractiva Hujus predicatione*, soli *DEO* propria. *DEUS ipsa Veritas* in *Lumine Natura* multoties appellatur: *Prima enim Veritas, purissima Veritas, aeterna Veritas, immutabilis Veritas*; quæ *prædicata* cum aliis *statum inferunt essentialem*. Et hoc est, quod *Veteres Philosophi*, quando *DEUM* dixerunt *Mentem*, appellatione quâdam non incommodâ notarunt; *Veritas* namque maximè convenit *Menti*; ut habet *Vives de Contemplatione Lib. II*. Huc suò modo referendum, quòd *Trismegistus Mundum DEI* nominavit *Imaginem*. *Thomas tria Part. I. Quæst. XVI Artic. V. Argumenta* contra nostrum *Assertum* adduxit: I. *Quòd Veritas consistat in Compositione atque Divisione Intellectus, quæ in DEO non repe-*





riuntur. II. Veritatem secundum Augustinum in Libr. de Vera Religionem similitudinem principii esse; Verum DEO similitudo ad Principium repugnat. III. DEUM Primam Causam omnium rerum existere: Jam Esse DEI est Causa omnis Esse, & Bonitas est causa omnis Boni. Ex quo colligit: Si Veritas in DEO sit, omne Verum erit à seipso. Contra ista Argumenta idem Autor hōc modō concludit: DEUS, cum sit suum Esse atque intelligere, nec non mensura omnis Esse ac Intellectus, in Ipso non solum est Veritas, sed Ipse Summa & Prima Veritas est. Nam Veritas invenitur in Intellectu, secundum quod apprehendit rem, ut est, & in re, secundum quod habet Esse conformabile intellectui: Hoc autem invenitur maximè in DEO. Nam Esse suum non solum est conforme suo Intellectui, sed etiam est Ipsum suum intelligere & suum intelligere est mensura & causa omnis alterius Esse & omnis alterius intellectus: & Ipse est suum Esse & intelligere. Unde sequitur, quod non solum in Ipso sit Veritas, sed quod Ipse sit Summa & Prima Veritas. Argumentis adductis adjicimus Responsiones, & quidem ad I respondemus: Majorem esse particularem, ex qua in prima figura nihil sequitur; Quaedam enim Veritas, logica scilicet, communiter complexa nuncupata, consistit in compositione, atque divisione intellectus, non metaphysica, que propriè sic dicta & Entitativa, cum sit Veritas incomplexa, nullam includens vel compositionem, vel divisionem; multo minus ergo Veritas DEI, que dicitur eminentissima, vel Theologia Naturalis, consistet in compositione atque divisione. Peccat igitur hic Syllogismus primus in Forma. Ad II dicimus: Veritatem esse similitudinem principii, sed in dependentibus atque principium habentibus, quandoquidem Conceptus, nisi rei sit conformis, falsus jure vocatur. Essentia igitur Principium, in quo & Veritas Conceptus & cognitionis, verborum, Scriptorum atque factorum fundatur. Hujus principii similitudo à Veritate, quecunque etiam sit, ex dictis debet servari, si velit observare suam sinceritatem. Citatum Augustini Testimonium de Essentia Humana seu Create, non Divina Essentia vel Increata Veritate est explicandum. Illa principium habet, cui sese debet assimilare, hæc omne principium assimilationis propriè sic dictum



dictum absolute respuit. Ad III. Itidem non absolute universalem esse, censemus ideò, quia *Æternitas, Infinitas, Immensitas*, aliaque *Attributa* dicuntur de DEO, nec tamen ita prædicantur, ut de *Prima Causa*; cum aliàs hæc *Attributa Creaturis* quoque competere. (b) Ex *Concretiva Veritatis accommodatione*: Vera enim est *Essentia Divina*, quam intimè hoc *Attributum* ingreditur & in sensu unito cum ista recipitur. Verus est *Attributorum Divinorum Status*: Veritas namque mediantibus *Attributis* aliis *Essentia Divina* tribuitur; Sic de DEO dicuntur *Vera Sapientia, vera Justitia, &c. Vera Operationes* *Essentia Divina* pariter competunt; nam ab ipsa vera DEI *Essentia veram* originem suam ducunt, adeoque perfectionis aliquid *operativa* afferunt. (c) Ex *immediata Oppositionis Conditione*: *Contradictoriè Vero NonVerum* opponitur; *Contradictoriè* autem *Opposita* membra *immediatam* inter se gerunt pugnam. Sicut ergò *NonVerum* neutiquàm *Attributum Essentiale DEI* dicendum, cum sit idem ac *falsum*; ita *Verum* vi oppositionis debet *Attributum Essentiale DEI* nuncupari.

§. II. Labefactant *Veritatem DEI* I. *Gentiles, falsos DEOS* loco *Veri DEI* obtrudentes. II. *Sociniani*, non solum *Verum Trinunum DEUM* negantes, sed & *Verum DEUM* esse, qui *Divinam Essentiam* non habet, ineptè atque *contradictoriè* asserentes, utpote quando *Smalcus Homines & Angelos esse, Veros Deos* docet *Exam. Centum Error. pag. 6*. Qui omnes *Veritatem Essentia Divina* nullò modò pro *Essentiali Attributo DEI* habent. Verùm hic notamus, aliud esse dici *Verum DEUM*, aliud esse *reverà talem*; multa siquidem dicuntur & finguntur, quæ non sunt: Propter *similitudinem & participationem* quandam *Angelicum Hominibus* habent *Nomen DEI Commune*, sed non ideò *Dii Veri* sunt, cum *propriè multos Deos* esse, dum *Ipsè DEUS* est *Infinitus*, verè *contradictionem* implicet. *Similitudo* autem est in quibusdam solum *analogis*, non in *Essentia*; non facit quoque *rem esse veram & eandem*, sed *similem rei veræ*: Jam *Veritas Essentia Divina Proprium Attributum DEI*, quod nunquàm aliis *Essentiis* potest, nec debet appropriari. Nec desunt *Alii*, qui pro *Accidentali DEI Perfectione Veritatem*  
banc



hanc cognoscunt, dum *predicamentalem* eam vocant; quod hic termino *Divine Veritatis* haud congruum, qui *simpliciter* omnis *imperfectioris* expers & *immutabilitate* *nativâ* gaudet, id quod mox pluribus persequemur.

III.

*Veritatem DEI* rectè describimus per *Attributum* *Essentia* *Divine*, quâ illa omnem respuit *fictionem* & *in Se* dicitur *eminentissimè Vera*.

§ I. *Veritatem DEI* nuncupamus I. *Attributum*; (a) Quia reverà competit DEO, quâ *propriam* & *realem* *existentiam*, quæ non inconvenienter *Enti* *Entium* attribuitur. (b) Quia hoc ipsum *intimè* *Divinam* ingreditur *Essentiam*; Sicut enim DEUS *Se* habet ad *Esse*, ita etiam ad *Veritatem* *Suam*. *Essentia* *Divina* igitur *mensura* hâc locô *Veritatis* est. (c) Quia *solitariè* atqve *in sensu* *unito* ut *Attributum* *Divinum* simul cum *Divina* *Essentia* reciprocatur; Hinc nulli *Creatura* *Veritas* *DEI* est *communicativa*, sed potius *Veritas* *Creaturarum* habet à *Prima* & *Independente* *Veritate* suam originem; Undè vulgò dicitur *orta* & *dependens*. II. *Attributum* *Essentia* *Divine*; & quidem (a) *ratione* *materia* *condicionis*; exprimunt hæc verba *verum* *materiale*, quod omnibus *Attributis* *Divinis* commune. (b) *Ratione* *simplicitatis* *eminentissimæ*, quæ *conceptus* *indeterminatus*, per ista verba indigitatus, admittit. (c) *Ratione* *Identitatis*, ob quam *Essentia* *Divina* alia non conveniunt *Attributa*, quàm quæ cum *Essentia* *Divina* identificari possunt & actu identificantur. III. Quâ *Formale* *Veritatis* *Divine* & *negativis* *verbis* propositum, dum *Essentiam* *Divinam* nullâ *ratione* *fictam* appellamus: (a) *In respectu* *ad* *Se Ipsam*; DEUS namque *Sibi* *Ipsi* *simpliciter* *Veritas*, à *Se* removens *figmenta*, cujuscunque sint generis. (b) *In Comparatione* *ad* *Intellectum* *Divinum*, qui nihil sibi fingit, sed omnia *Verissimæ* *Divinitatis* *veritatis* *presentissimè* conspicit. (c) *In respectu* *denique* *ad* *Perfectionem* *Divinam*, cujus est, omnia *commenta* rejicere & sibi omnia *perfectissimè* representare. Et *verbis* *affirmativis* expressum; *Essentiam* *Divinam* sic *eminentissimè* *in* *Se* & *Suâ* *naturâ* *Veram* dicimus: (a) Quatenus *Essentia* *Divina* *conformis* est *Verissimo* *DEI* tum *actui*, tum *statui*,



statui, cum primis etiam intellectui vel conceptui, DEUM eò modo, quò est, representanti. Hinc Intellectus Divinus non est aliqua potentia, ut in Creaturis, nec habitus quidam ab hac naturali potentia resultans, sed ipsa DEI Essentia, aut purissimus ejus Actus. (b) Quatenus Intellectus Divinus sine ullo vel errore, vel incertitudinis vitio res formaliter cognoscit, eò modo, quò sunt. DEUS Ipse omnis erroris expers est, nullamque deceptionis varietatem & fallibilitatem admittit; eapropter simul DEI Scientia ita comparata est, ut nullam rebus afferat mutationem, sed res in Suo Esse, prout sunt, cognoscat. (c) Quatenus conformitas quoque Operum Divinorum cum sermone atque Divino Intellectu existit, quæ à natura Veritatis minimè recedit & circa quælibet objecta dicitur occupata.

§. II. In Descriptione hac potissimum ad Formale Veritatis Essentia Divina respicere debemus, contra quod variæ producuntur Opiniones erroneæ. Tenendum autem illud est, Formale Veritatis Divina suò modo convenire cum Formali Veritatis Entis; Istud ergò I non consistit in Relatione Rationis ad Intellectum Divinum practicè cognoscentem; nam Veritas convenit DEO per Essentiam & realiter, non per operationem intellectus Ipsius, multò minus per Rationis Relativum statum, cum nec Ratio, nec Rationis Relationes, nec Ejus Operationes propriè vel simpliciter DEO competant; Hoc observamus contra Petrum Fonseca Lib. IV. Metaph. Cap. II. Quest. VI. Nec II in congruentia ad Intellectum sive Increatum, sive Creatum, sive theoreticè, sive practicè cognoscentem; in qua sententia fuit Sparezius Disp. IIX. Metaph. Sect. VII. Item Frommius, Weisius eandem Opinionem proposuerunt. Neque III Essentia Divina Formale oritur ex aliquo reali absoluto à DEO ex natura rei distincto; Veritas enim à DEO non nisi ratione differt. Contra Scotistas istud notamus. Neq; IV Formale Veritatis DEI Relationem DEI ad Se Ipsum secundum esse cognitum & esse reale constitui; contra Durandum Lib. I. Sentent. Dist. XIX. Quest. V. & Arriagam. Lib. I. Metaph. Sect. IIX. militantes pro Relatione Entis Infiniti ad Se Ipsum. Sed IV potius Veritatis Essentia Divina Formale vocamus Debeitatem Essentia Divina, contra Adversarios dicentes: Nostrum For-

B

male



male Veritatis DEI involvi in Primo Conceptu ipsius Entis Infiniti, quod falsum eam ob causam, quia Primus Entis Infiniti Conceptus facit mentionem simpliciter Essentiae, non verò Essentiae debitae. Vera ergò Essentia Divina, in quantum Essentiam habet, Sibi debitam, naturaeque Suae competentem, non fictam, non inaniter confictam.

IV.

Veritas Essentiae Divinae, si ignoraretur, multiplex ferret se- cum incommodum, ut quotidiana Experientia testis est.

§. I. Ab ignorantia Veritatis Divinae Essentiae ortum suum, absurdissima trahunt incommoda, & quidem sequentia: (a) DEUM Verum ignorare Summum Malum esse; Test. Justin. Quaest. & Respons. ad Graecos Quaest. 1. Si Summo Hominum Bono, inquit, summum opponitur malum; Summum autem Hominis Bonum est, DEUM Verum nosse: Summum certè malum fuerit, illum (scil. Verum DEUM) ignorare. (b) Nullas Perfectiones seu Proprietates eminentissimas DEO propriè competere, sed solum eas more Creatorum Entium pro Accidentibus haberi; Si enim omnes DEI Perfectiones vel Proprietates vere sunt, & non fictae, tunc Ipsius Essentiae Veritas simul Eidem competere debet; quia omne mediatum praesupponit immediatum, & omne concretum praerequirat abstractum; Jam si Veritas mediatè, mediantibus DEI Perfectionibus vel Proprietatibus, praedicatur de Divina Essentia, etiam immediatè de eadem Essentia potest & debet affirmari; cum nihil illis conveniat, quod nullò modò de hac dici queat, siquidem Perfectiones vel Proprietates omne suum Esse debent Essentiae Divinae. (c) Divinas & potissimum internas Operationes denegari DEO, si Veritas Divinae Essentiae à nobis ignoraretur; Siquidem Operationes Divinae internae promanant ab Essentia Divina; Denegatis igitur Operationibus Divinis inter- ris, negatur ipsò actu Essentia Divina.

§ II. Si Antithesin huic Thesi consentaneam respicere volumus, quis nescit ex ignominia DEI Veritate Ipsam Divinam Veritatem in turpissimam vanitatem à Gentilibus esse conversam; Quidam eò ascenderunt impietatis, ut DEORUM Existenti- am omnimodam negarent, aut si non Existenti- am,

Pro-



*providentiam penitus destruerent. Alii potius incertâ dubitatione hanc voluerunt Divinam Existentiam, quàm apodicticâ assertionem exprimere. Alii DEORUM innumeram introduxerunt multitudinem. Multi etiam Ægyptii, Græci, Romani, alique Homines demortuos omniumque vitiorum genere insignes divinô honore sunt profecuti. Hi omnes errores ex Veritatis Divinæ ignorantia, tanquàm ex fecundissimo fonte, promanarunt.*

V.

*Veritas Essentia Divina, quâ Viam Negationis, removet à DEO Imperfectiones omnes Creaturarum.*

§. I. *Ex Via Negativa cognosci Veritatem Essentia Divina, constat (a) ex formali consideratione Imperfectionis, que in genere defectus vel absentia Perfectionis est: Jam DEO nihil deest Perfectionis, verùm omnes Perfectiones sunt in DEO modò infinitè excellentior, etiam Perfectiones Creaturarū; Alias DEUM nullâ ratione pro Causa Prima vel Universalis agnoscerent Creaturæ. (b) ex absoluta & omnimoda perfectionis applicatione, quæ in DEO excludit omnem imperfectionem. Undè simul Judice B. Dn. D. Jac. Martin. in Rationali Lib. I. Cap. XLVII. pag. 377. Hæc via omnium est optima & perfectissima & à periculo errandi maximè libera. (c) Ex negativorum Prædicatorum attributorum accommodatione: Licet prædicata negativa dicantur DEI Attribute, Infinitas, Immensitas, &c. tamen in simplici negatione nequiquàm consistunt, verùm positivum quid simul involvunt, ratione cujus de DEO essentialiter prædicantur. Eapropter simpliciter, quâ modum negationis DEUM cognoscendi, meritò imperfectiones omnes ab Ipso removemus.*

§. II. *Aristoteles Lib. XII. Cap. II. Metaph. reprehendit Pythagoricos & Speusippum, eò, quòd negarint, DEUM esse optimum & pulcherrimum, licet esset Principium. Hòc modò non removeretur à DEO Imperfectum. In eo igitur Philosophorum Principem sequimur, ut DEUM esse optimum & pulcherrimum ex Veritate Divina Essentia deducamus. Conradus Vorstius, nec non Phoriniani Attribute Divina vocantes Accidentia, imperfectiones DEO non omni ratione denegarunt, quâ Veritatem Essentia Sua. In DEI Perfectionem quoque impegerunt alii Calvinianorum, asserentes: Necessum fuisse, ut DEUS occasionem haberet exercende Sua Miseri-*





cordia & Justitia, ut Homo laboretur. Cui ultimæ opinionis contrariatur Augustinus Lib. XI. de Genesi ad lit. Cap. VII. his verbis: Non eget DEUS Justitiâ recti, quantum minus iniquitate perversi.

VI.

Via Causalitatis Veritatem Essentia Divina respicit, quatenus firmiter ex ea colligendum, in DEO necessario dari Veritatis Attributum, ut in Causa Prima, respectu cujuslibet Effectus.

§. I. Viam Causalitatis monstrare Veritatem Essentia Divina, probatum dabimus (a) Canone vulgari Philosophorum: Nihil Perfectionis est in Effectu, quod non antea fuerit in Causa; cum Causa sit prior Effectu: Jam Veritas est Perfectio quædam Creaturarum, tanquam Divinorum Effectuum; in Essentia Divina itaque, tanquam Causâ Primâ, debet hæc prius locum invenire, quam in Creaturis vel Effectis. (b) Comparatione: Creaturam perfectiorem esse Creatore, foret absurdissimum; Quicquid ergo perfectionis in Creaturis reperitur, id non potest aliam respicere originem, quam ipsam Divinam Productionem. (c) Absurditatum multarum Consecutione: Tales namque absurditates proponerentur, si juxta Viam Causalitatis Veritas Essentia Divina non distingveretur à Veritate Creaturarum, & peculiarem Veritatem illam esse assereretur; Quales sunt: Creaturam agere in Seipsam, dari Creaturam independentem, quod σιδηρόζυλον, illam infinitam habere virtutem, Creaturam esse ante Creaturam, &c. Quæ locutiones, cum non agnoscant realitatem, sed figmentorum nomine veniant, erunt rejiciendæ ac refutandæ.

§. II. Contradiciunt Nobis Isti, qui verè Causam per accidens mali DEUM Verum constituunt, adeoque perfectitatem à causalitate separant, & sic Veritatem Primæ Causæ simul in dubium vocant, dum non veni, vel peccata per accidens ad Primam Causam referunt, quod plerique Calvinianorum faciunt. Deindè qui DEO Infinitatem Veram denegant, ut Stoicorum Princeps Zeno, DEUM appellans globosum, adeoque itidem primam Causalitatem ab Ipso removens. Vid. Pnevmat. DN. Lic. Meieri Cap. V. de Attrib. DEI Propriis Negativ. Part. Special. Lib. II. Sect. III. Problem. I. §. 1. pag. 429. Vorstius Lib. de DEO & Attrib. Divin. pag. 234. dicit: DEUM non esse Actum simpliciter Infinitum neque essendo, neque ope-



operando, tamen si respectu nostri sic dicatur utrumque. Ex quibus  
verbis facili modo ita concludendum: Si DEUS operando non  
Infinite est, nec Ei secundum Veritatem Essentia Divina causali-  
tas prima convenire potest; cum Operationes infinite sint causa-  
litatis prima. Notamus & hic potissimam Controversiam: Cau-  
sam Primam in Essentia Sua Veram immediatè atque per se ad  
Causarum Secundarum effectus quadantenus concurrere. Contra,  
Durandum in II. Sentent. Dist. I. Quest. V. & Dist. XXXVII.  
Quest. I. Petrum de Aquila Dist. XIV. Quest. II. in II. Sentent.  
Quam Controversiam in MSC. Metaph. Part. General. Cap. de  
Causa & Causato Problem. I. Summè Rever. DN. D. WALTHERUS  
accuratè discussit.

VII.

Veritas Essentia Divina, quæ Viam Eminentia, potissimum  
DEO accommodatur, quæ ipsis Creaturis contradistingui-  
tur, ut eò modo nequaquam Verus communi sensu appelletur,  
quò vera sunt Creature.

§. I. Via Eminentia ratione Veritatis Essentia Divina mon-  
stratur (a) ex statu Essendi, quò modis infinitis differt à Crea-  
turis, cum DEUS eminentiorem Creaturis Essentiam Sibi solita-  
riam & propriam habeat; Ergò Eminentiam istam Veritati Essen-  
tia Divina quoque convenire nullum dubium. (b) Ex modo  
Attribuendi, quò eminentissima DEO accommodamus Attri-  
buta, inter quæ citra controversiam locum Veritas Essentia Di-  
vina invenit; huic igitur  $\mu\omicron\nu\omicron\tau\epsilon\beta\omicron\pi\omega\varsigma$  &  $\epsilon\zeta\alpha\sigma\epsilon\tau\omega\varsigma$ , in eminenti-  
simo & maxime essentiali statu ista competit; præprimis si colla-  
tionem inter Veritatem Creaturarum & Veritatem Essentia Divina  
instituiamus. (c) Ex ratione predicandi, quæ gaudent predica-  
ta absoluta & positiva DEI, quorum nomine venit ipsa Veritas,  
Essentia Divina eminentissimo modo competens; Ratio predicandi  
quoque se modo eminenti habet ad differentiam Veritatis in  
Creaturis existentis.

§. II. Hic notatu digna Sententia Vorstii, qui DEO Ma-  
teriam tribuere nullus dubitavit Lib. de DEO & Attribut. Divin.  
pag. 210. Errant & Sociniani cum Arminianis tribuentes DEO  
Accidentia, variasque Facultates, per quas DEUS operetur. Vid



*Crell. Lib. de DEO & Attrib. Divin. Cap. XX. seqq. Hôc modò Illi Omnes remouent eminentissimam puritatem, quæ conjuncta cum Veritate Divina Essentia, à DEO, nec Veritatem Essentia Divina Distinctam à Veritate Creaturarum, quâ Viam Eminentia, censent, quare nostræ Thesi contradicere deprehenduntur.*

IIX.

*Quâ Ultimam Viam Cognoscendi DEUM Verum notamus Existentiam Veram Notitia Naturalis & Inrita, & Acquisita; Illa natura ac mentibus ipsò actû, & quidem verè, imprimatur, etiam tum, cum ratio se non potest exercere. Hæc verà & accumbat rerum creaturarum contemplatione per discursum res Spirituales naturaliter cognoscit; Illa nonnullis dicitur Subjectiva, hæc Objectiva, vocatur.*

*§. I. Inritam Noticiam Naturalem dari, confirmamus (a) ex Principiorum Practicorum sive Divina Legis omnium Hominum Cordibus Inscriptio: Qui enim legem DEI naturaliter inscriptam habet atque novit; in illo datur Vera Naturalis Notitia Inrita; Atqui omnes Homines cordibus &c. Ergò. Maj. prob. Principiatum præsupponit Principium, cum, juxta Metaphysicos, Principium & ordine natura & doctrina prius Principiatò sit. Min Quia omnes Homines ea, quæ consensanea legi sunt, faciunt ob legem inscriptam, cum legis observatio prærequirat legis cognitionem. (b) Ex Conscientia testificatione: Nam in omnibus Hominibus naturale dictamen & judicium de bonis & malis factis datur: Ergò in illis quoque Inrita Notitia Legis existit. Majorem probamus: Terrores enim Conscientia vel sunt ab ipso Homine, vel ab aliis Hominibus, vel à Diabolo, vel à DEO; Non ab Homine, quia Homo naturaliter vitia sua excusat, ergò terrores non sunt ab ipso. Non ab aliis Hominibus: Quia terrores tales ab aliis non cognoscuntur; quando scelera sunt occulta. Nec à Diabolo, quia hic in Conscientiam nullam potestatem habet: Ergò sunt à DEO. (c) Ex communi omnium Gentium consensione: In Notitia DEI Naturali Inrita omnes Gentes & Homines communi suffragiò consenserunt, quod confirmant Aristoteles Lib. III. de Anima Cap.*



Cap. IV. Cicero Lib. II. de Natura Deorum & Lib. I. de Legibus. Acquisitam DEI Notitiam existere, constat: (a) Ex Argumentis pro Existentia DEI & aliis, quae naturaliter de EO cognosci possunt, ab Autoribus passim adductis; Argumenta, quae probant DEUM Verum esse, nostram quoque sententiam firmam reddunt; Quia quod verè existit, illius Notitia facili ratione per discursum quendam acquiritur. (b) Ex ipsa Experientia: Quia plurimi actu naturaliter DEUM agnoverunt, esse Unum, Bonum, Justum, &c. Quidni actu ipso ex intuitu Creaturarum cognoscibilis esset? Siquidem ab Actu Secundo ad Primum argumentari licitum. (c) Ex Attributorum & Operum Divinorum Cognitione: Quae in se perfecta, quidditativa & apprehensiva ratione nostri nuncupatur. Ab Istorum Existentia rectè concludimus ad Existentiam Ipsius DEI Essentiae Vere, quae fundamentum & principium omnium Attributorum atque Operum Divinorum.

§. II. Tota Schola Peripatetica teste Scaligero Exercitat. CCCI. Sect. XIX. pag. 954. Infitam Naturalem DEI Notitiam inficiata est. Eapropter inquit citatus Autor: An verò verum est, quod ab aliis dici solet, DEUM esse non est verum. Conf. Timpler. Lib. III. Metaph. Cap. I. Quest. IX. Lib. IV. Cap. II. Quest. II. Multi Alii Adversariorum sunt ex Calvinianis, Photinianis, Arminianis. Scholastici mirè litigarunt de Cognitionis DEI Naturalis propositione: DEUS EST. In Illos omnes autem ignorantiam affectatam, malitiosam sive pravae dispositionis, non verò simplicem seu pure negationis cadere affirmamus, cum eundem sciant DEUM esse, sed scire illud ipsum propter internam & affectatam mentis obscurationem nolunt. Acquisitam DEI Notitiam Scholastici quoque impugnarunt, qui DEUM esse è Natura demonstrari ita posse, ut à nemine invincibiliter illud ignorari possit, persuasum minimè habuerunt. Tannerus existimavit dari posse inculpabilem Ignorantiam de Existentia DEI Tom. I. Theol. Scholast. Dist. II. Quest. II. Sociniani Veteres acquisitam DEI Notitiam penitus negarunt Osterod. Institut. Cap. I. Socin. Miscell. pag. 65. Verum Illi concludunt à non exclusivo ad exclusivum, à Notitia ipsa ad Sufficientiam Notitiae, eapropter fallaciam



*ciam à dicto simpliciter ad dictum secundum quid committunt, & sic sophisticam adhibent probandi rationem.*

IX.

*Veritatem Essentia Divina nullò respectu Diis Falsis seu Fictis accommodare debemus, qui nomine tenus tantum tales vocantur.*

§. I. *Nullos Deos præter Verum DEUM Divinâ Essentiâ gaudentem esse fingendos, demonstratu facile: (a) Ex Attributi Uniti Denominatione, cum Veritas Uniqum & solitariè de Divina Essentia prædicetur, quæ prædicatio non admittit Falsitatem; Falsos Deos ergò non existere posse asserimus. (b) Ex Remotione falsorum Subjectorum; Multa enim Subjecta sunt, quæ pro Diis à Gentilibus haberi solent, verum Idolorum nomine potius gaudent, quàm Deorum. (c) Ex variarum Absurditatum originatione: Si enim falsi Dii pro Veris admitterentur, tunc plures absurditates indè possent deduci: I. Deos vanos esse ubique, cum tamen pro Creaturis tales æstimentur, & certis in locis tantum colantur. II. Eos Essentiam Divinam habere, verum id in æternum probari non potest. III. Attributa & Opera Divina necessariò istis attribui debere; sed illud nonnisi falsò statuitur. Ut de aliis absurditatibus nihil amplius dicamus.*

§. II. *Notanda est in Antithesi Gentilium Opinio, qui non solum Deos falsos pro Vero agnoverunt, sed & nomina ipsis dederunt. Accusandi quoque sunt Papiste, qui suâ tum Mariolatriâ, tum Angelolatriâ, tum Hagiolatriâ, tum Papolatriâ, tum Iconolatriâ, tum Lipsanolatriâ falsos Deos admiserunt; id quod sufficienter testatur B. DN. D. GERHARD. Disput. Academ. Tom. I. Disputat. I. Thes. XIII. pag. 4. Non autem solum pro Diis omnia ista subjecta agnoscere, sed & cultu verò divinòque prosequi & voluerunt, & actu coluerunt. Horum autem refutationem apud Theologos planam ac plenam invenimus.*

*His Veritatem Divina Essentia breviter explicasse nunc sufficiat.*

**VERO DEO, QUI VERITAS IPSA,  
SIT SEMPITERNA GLORIA!**



Ung. VI 59

ULB Halle 3  
004 186 672



f  
56.

VD 77.


Juni 2000 M,











B.I.G.

Farbkarte #13

I. N. D. V.

MATERIAM  
PHILOSOPHICAM,  
EX THEOLOGIA NATURALI,  
VERITATEM ES-  
SENTIÆ DIVINÆ  
CONCERNENTEM,

PRÆSES,  
M. ABRAHAM HENRICUS  
DEUTSCHMANNUS,  
FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTUS,  
ET  
RESPONDENS,  
STEPHANUS ADAMI,  
KISSELYKINO-TRANS.SS.TH. ET PHIL. STUD.

PUBLICÆ COLLATIONI EXPONENT,  
*AD XIV. DIEM JANUAR. ANNO M.DC.XCI.*  
*In Auditorio Majori,*  
HOR. CONSVET. MATUTIN.

WITTEMBERGÆ, Prælo CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

29

3706

